VII. Har

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30500230

DE

PESTE DISSERTATIO

Habita Apr. 17. 1721.

IN

Amphitheatro Collegii Regalis

Medicorum *Londinensium.*

Cui accessit

DESCRIPTIO

Inoculationis Variolarum.

A Gualtero Harris ejusdem Collegii Socio,
& Chirurgiæ ibidem Professore.

LONDINI:

Impensis Gul. & Joh. Innys, in Areâ Occidentali
D. Pauli. M.DCC.XXI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIMO
Celeberrimoque Domino,

D^no^ HANS SLOAN Bar^to^,

Collegii Regalis Medicorum Londinensium

PRÆSIDI,

FREDERICO SLARE,

JOHANNI BATEMAN,

RICHARDO BLACKMORE, Eq. Aur.

TANCREDO ROBINSON Medico Regio Primario,

JOHANNI HAWYS,

GIDEONI HARVEY, Med. ad turrim Reg.

In eodem COLLEGIO

ELECTORIBUS Dignissimis:

CENSORIBUS etiam Doctissimis,

Cæterisque

COLLEGII SOCIIS Excellentissimis:

Hanc qualemcunque

DISSERTATIONEM,


Salutis Publicæ studio benevolo conscriptam,

Submissè dicat,

Gualterus Harris.



DE PESTE.



CUM *Pestis* à Chirurgis, non admodùm eruditis, in operibus suis frequenter tractetur; cùm tot populos ac regiones, non longè à nobis dissitas, nuper vastaverit, miserèq; depopulata sit, anno scil. 1714; cùm *Gallia Meridionalis* nunc temporis inauditam quandam vastationem sustinet, idq; imprimis in istis locis, ubi permulti innocentes viri ad remos fuerunt damnati, & cruciatibus ac tormentis variis inhumaniter afflicti, propter conscientiam liberam conservatam ab illicito obsequio, Principis voluntati aut arbitrio: Et cùm nemini, nisi *Numini Opt. Max.* sit cognitum, quàm propè Laribus, aut ædibus nostris etiamnùm impendeat dira ista Lues,

æquum

æquum utileque nobis videtur, hunc morbum exitialem paucis conſiderare.

Quod verò ad *Peſtem Marſilienſem* attinet, cauſa naturalis, ſi non principalis, ejus ſummæ perniciei, planè videtur, maxima ibi rei frumentariæ inopia. Etenim cùm provincia illa vineis & olivetis conſtet, & aratri frugibus ſit plurimùm deſtituta; & propterea illis annona ſuppeditetur ab *Italiâ*, *Genuâ*, & *Barbariâ*; & cùm prorsùs defuerit illis pecunia numerata, propter ejus converſionem Empyricam, ſive novam Metamorphoſin in Schedulas incerti valoris, quas mercatores peregrini noluerunt accipere pro frumento ſolvendas, tunc ſcilicet duo hoſtes internecini, λιμὸς & λοιμὸς conſpirabant illos populos conjunctim interficere.

Quiſquis *Peſtem* copioſiſſimè & accuratiſſimè explicatam inſpicere cupit, omniumque autorum celebratorum ſententias in unum diligentiſſimè collectas examinare, quoad theoreticam, prophylacticam, & therapeuticam *Peſtis* conſiderationem, cum Problematis ad cauſas ejus occultas pertinentibus, præ aliis autoribus conſulat clariſſimum *Diemerbroek*, doctiſſimè diſſerentem de *Peſte*, quæ *Noviomagi* graſſabatur anno Centuriæ præteritæ trigeſimo ſexto. Qui illum perlegit, cum annotationibus ſingulis ejus capitibus annexis, eodem intuitu pænè omnes autores de eâ re conſcribentes legit.

Propoſitum

Propoſitum jam eſt noſtrum, non alienis methodis inſiſtere, neque autorum ſententias excerpere doctèque citare, niſi neceſſitas quædam id cogit; ſed quædam perſtringere ad Peſtem ſpectantia, quæ conducere quodammodò poſſint *Curando* tàm ſævo morbo, ſi ità *Deo* placuerit. Nam ſpeculationes inanes, & argutiæ quantumlibet ſubtiles, minimè conveniunt, aut ſunt minùs congruentes, in re graviſſimâ, maximeque ſeriâ.

Peſtis eſt ſæpiſſimè peculiare flagellum *Dei Omnipotentis*, omniaque conſpicientis, quo Suprema Bonitas, tandem devictâ Lenitate ſuâ diuturnâ, aliquandò animadvertit in homines degeneres, & flagitia illorum eo modo ſeveriùs ulciſcitur, quàm Belli, Famis, Luis Venereæ, animalium ferorum aut venenatorum miniſterio ſævire unquam ſolet. Hanc verò pernicem ſæpè cœlitùs infligi, quanquam nupera *Cometologia* nequaquam id fatetur, tamen Cometæ novi ac Meteora aere inſolita, in ſublime impendentia, & vulgò eam antecedentia, ſæpiſſimè demonſtrant aut evincunt. Anno prout memini proximè præcedenti ultimam iſtam *Peſtem*, quæ apud nos graſſata eſt, anno Centuriæ præteritæ ſexageſimo quinto, attonitis omnibus diu conſpiciebatur horrendus quidam *Cometa*, cujus ardens cauda à capite ſuo protenſa pænè dimidium *Hemiſphærii* noſtri quotidie implebat. Dirùm ſanè *Omen*, ſive ſpe-

ctaculum, paulò póst concomitatum funestâ strage pæne centies mille hominum, *Peste* extinctorum, in unâ hâc urbe, & uno eodemque anno.

Prima Pestis calamitas, in his regionibus miserabiliter invalescens, est quod omnes incolæ eandem domum habitantes, simul ac notum est quenquam esse infectum, omnibus furiis morbi pestiferi statim adjudicentur, unà incarcerentur, & ab aere salubri ac sereno perfruendo seclusi prohibeantur. Multò consultius esset, & humanius, si sani ab infecto quamprimùm separarentur, & in domos quasdam, tabernacula, aut *tentoria*, extra urbis pomœria, à Magistratu assignanda, citò relegarentur, ubi seclusione aliquâ debitâ, aut quadragesimali, & annonâ illis suppeditatâ, securè perfungerentur. Quod si ex illis quempiam contigerit posteà corripi isto contagio, aliorsùm, vel in Nosocomia Pesti dicata conveniet illos amandari. Et ejusmodi institutum posse à Magistratu tutò & auspicatò ordinari, sub primam *Pestis* invasionem, liquidò apparebit; quia nullæ *Febres Contagiosæ* solent unquam virus ullum pestiferum diffundere, circiter *primum* illarum insultum, sed morâ aliquâ interpositâ. In *Variolis* ipsis, quæ adeò inficiunt, & populariter serpunt, Contagium non solet aliis disseminari, antequam halitus fœtidi & graveolentes à pustulis maturantibus ac putrescentibus exhalare incipiunt, aut putor aliquis ingratus à corrup-

tis

tis humoribus tandem expiret. Et ſic in aliis *Febribus Malignis* & *Peſtilentialibus* afflatus iſte Contagioſus nequit ſe diffundere, & propinquis communicari, donec morbus aliquantiſper procedit, donec aut vomitus immanis putridos fœtenteſque humores palàm ejicit, aut vis naturæ vel morbi venenum in cutim aut Emunctoria propria expellit, aut donec ulcus, bubo vel anthrax apparet & rumpitur. Quæ quidem res *Magiſtratûs* cognitione, maturáque conſideratione ſunt digniſſimæ: Nè in poſterum, ut olim peſſimè, complures ſani, optimèque valentes, in eâdem domo vel ſepulcro, unà cum homine infecto, præpoſterè claudantur, morti immaturæ alternatim omnes traditi.

Et hæc nobis eò opportuniùs nunc dicuntur, quia conſternatio præſens, à metu *Gallici* Contagii undique ſe diffudit, terroremque ingentem multis populis ab eo procul diſſitis, longè latèque nuper injecit. Et quamvis ab ultimâ *Peſte Londinenſi* complures jam elapſi ſunt anni, *Contagionis* immunes, multòque plures ſalutares quàm unquam anteà apud nos contigerint, tamen benè ſperare licet, *Urbem* hanc auguſtiſſimam, omnes alias primarias, Regias, aut Imperiales per totam *Europam* diſpertitas, magnitudine, opibus, commerciis, incolarumque copiâ, non modicè tranſcendentem; hanc inquam tantam Urbem, tamque florentem, à *Contagio* Peſtilenti jamdiu liberatam, poſſe multò diutiùs ab eo

adhuc conservari, si *Deo Optimo Maximo* ita placuerit; quia fœtoribus noxiis & inquinamentis, priùs infestantibus, per canales subterraneos jam undique expurgatur, & fluvialis aquæ salubris facili introitu pænè omnes *Londini* domus copiosè suppeditantur; & deniq; quoniam *Tutela Divina*, mirandos in modos multos, hoc præsertim seculo, sese exhibuit propitium pro tutandâ & vindicandâ totâ regione *Anglicâ* à periculis diris ac horrendis, non raro propè impendentibus.

Altera Pestis calamitas, maximèque omnium deploranda, ut mihi quidem videtur, est error non magis popularis quàm fatalis, in ipsâ ejusdem *Curatione*; error, inquam epidemicus, tàm Medicorum nonnunquam doctissimorum & peritissimorum, quàm sæpiùs medicastrorum imperitorum. Scio hoc paulò liberiùs & audaciùs dictum, arrogantiæ maximæ insimulari posse: Sed ut nunquam delector in reprehendendo alienos errores, neque id nunc facio, nisi solius *veritatis* studio, in causâ gravissimâ nunc incitatus; precor equidem vos, consultissimi judices, ut dubitetis saltem, censuramque omnem deponatis, donec hanc rem habeatis certiùs exploratam.

Ut igitur *Curatio Pestis*, favente *Divinâ Benedictione*, nobis clariùs innotescat, distinguendum est imprimis inter *Curationem principio Pestis* congruam, eamque quæ conveniet

niet morbo jam fixo & confirmato. Quod in omnibus Febribus, qualeſcunque fuerint, ſive Continentes, Intermittentes, Inflammatoriæ dictæ, & Malignæ, credite mihi, eſt maximi momenti. Nam tempora morborum omnium, graduſque varii, aliam atque aliam *Curandi* rationem poſtulant. In principio vires conſtant, ſymptomata ſunt mitiora, locuſque datur ampliſſimus peritiæ Medicæ demonſtrandæ, conſtantique ac pæne infallibili medicamentorum certitudini approbandæ. In *Principio* meminiſſe oportet effatorum illorum axiomatum, aut *Aphoriſmorum*, ſemper & ubique ex uſu ſaluberrimo:

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων· Sectione primâ.

Et *Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κινεῖν κίνει·* Sectione ſecunda.

Veteres Medici *Principium* Febris computabant eſſe illud tempus, quo ægrotans conſueta vitæ munia obire nequivit, & propterea dejectis ſuis viribus primò decubuit. Aliquandò verò latiùs primam *Diatritum* ſic vocabant; & aliquando totum Febris tempus *Coctionis* ſigna præcedens. Sed frequentiùs illi *Principium Febris* determinabant à *primo frigore* inſigniori corporis, & præſertim partium extremarum, ſymptomatiſque id citò concomitantibus, nimirùm *Nauſeâ* aut *Vomitu*, aut animi quodam deliquio, aut gravi ſomnolentiâ

nolentiâ, Vertigine, aut Dolore capitis acerbo, vel alterius partis.

Per *Principium Peſtis* equidem intelligo primum diem, quo ægrotans horrore aut rigore corripitur. *Horrorem* illum *Peſtilentem* accepimus nonnunquam intra ſeſquihoram terminari, ſed frequentiùs ultrà quatuor vel quinque horas permanere. Huic *horrori* vix adhuc ceſſanti *ſemper* ſuccedere *Nauſeam* & *Vomitum*, ſcripſit *Hodges*, noſter Collega, oculatus ille teſtis *Peſtis* poſtremæ quæ apud nos graſſabatur. Et eodem tempore quo *Vomitus* infeſtabat, *Cephalalgiam* gravem illa Ventriculi perturbati ſigna uſitatè concomitari idem autor narrat.

Itaque maximè notandum eſt, hæc prævia & primaria *Peſtis* ſymptomata, aliis multis Febribus, *Putridis* dictis, eſſe communia; ſemperque propriè indicare uſum tempeſtivum *Emeticorum*. Et in aliis omnibus Febribus, ſive Putridis, ſive Synochis, ubi ab eiſdem Symptomatis *Emetica* fuerunt indicata, opportunèque à me data, cum debito regimine operationis, clarè vobis enuncio, bonâque fide affirmo, haud conſcius contrarii, nunquam me meminiſſe, tanto auxilio juvatum, quòd *ſemel* fruſtratus fuerim ſucceſſu exoptato, per ipſam *Febris averruncationem*: Niſi *Variolæ* ſint ſubſecutæ, aut *Morbilli*, aut Febris fuerit ex Inflammatoriis, quæ non niſi dolore conſopito, partiſque Inflammatione

ali-

aliquatenùs deletâ relevari & cedere ſolent. Idque repeto, haud pauliſper jam exercitatus, utpotè ætate jam ad veſperam inclinante, cùm teſtimonium ſolet eſſe firmum, & cùm mundi hujus ineptiis & deceptionibus brevi fuerit valedicendum. Quanquam & neminem *Senectute* reor premi aut laborare, quamdiu facultates animi illæſæ viguerint, aut quouſque eidem fuerit *mens ſana in corpore ſano*. Repeto inquam, quod nunquam ego meminerim, cùm *Emetica* tutò poſſint, & primâ die invaſionis Febrilis fuerint prudenter exhibita, ea me feſelliſſe, nè ſemel quidem.

Itaque addo prætereà, cùm quinque annuas expeditiones æſtivas in *Flandriam* facerem, *Regi Gulielmo* fœlicis memoriæ pro facultate inſerviens; & cùm cura ſanitatis totius *Familiæ Regiæ*, quantumlibet numeroſæ, mihi ſoli peregrè incumberet, durantibus illis æſtatibus; veriſſimè affirmare poſſum, poſt plurium domeſticorum de eâ re percontationem, me ex tempeſtivo præſertim *Emeticorum* uſu nullum famulum cujuſcunque ordinis, è tanto tamque numeroſo comitatu, illorum qui è *Britanniâ* in *Flandriam* Domeſtici quotannis tranſibant, illis *quinque* annis deſideràſſe: Nimirùm unuſquiſque illorum ſalvus autumno redibat, propter auxilium Medicum habitum tempeſtivè *in principio*, cùm cæteri plures domi commorantes quotannis fortè interibant. Tunc enim temporis illis exhibui ſolius *Tartari Emetici* pænè integram

integram libram, à quatuor ad ſex grana pro quâlibet doſi, præter alia *Vomitoria*, unâ eâdemque æſtate, ſemperque optato cum ſucceſſu; tot inquam, *Emetica Antimonialia*, durante æſtate, illis præſcripſi, qui nè *unam* quidem eorundem doſin, totâ unquam *hyeme*, vomendo contrariâ, aut auſim, aut ſoleo præſcribere.

Pace veſtrâ nunc liceat maximâ admiratione ſuſpicere *Numinis Divini* benignitatem, indignis nonnunquam collatam, & cujus poteſtas, infinitæ Bonitatis plena, viris perquam imbecillis magnas ſæpè vires dignatur ſuppeditare, pariterque mediocriter in Arte peritis proſperos quandoque ſucceſſus libenter concedit; quùm Sapientia illa Cœleſtis docta conſilia medicorum præclariorum, quantumcunque fuerint ſalutaria, quoties beneplacito Supremo placet, facilè fruſtratur. Et liceat porrò obſervare, Medicos rariſſimè ex breviſſimis, promptiſſimis, *Optimiſque* ſuis *Curationibus Gloriolam* ullam conſequi; utpotè quales morbi tàm celeriter fugati, ſuſcepto ſolummodò frigori, & leviſſimis contemptiſque cauſis deberi ferè exiſtimantur. Sed diuturnæ, perplexæ, & fortè *erroneæ Curationes*, ad exitum fœlicem tandem perductæ, claros & illuſtres, æquè ac divites, ſæpè reddunt. Adeò ut *Benedictio* illa *Pontificia*, utcunque minùs ſancta, tamen non inſipiens fuerit: *Si mundus vult decipi, decipiatur. Si mundus vult*, &c.

Scio

Scio doctos & egregios autores, qui de *Peste* conscripserunt, & qui versati fuerant priùs cum *Peste* correptis pænè unanimi consensu improbare *Emetica:* Nimirùm verentes nè vis unita morbi & remedii Vomitionem immanem faceret, viresque nimis dejiceret. *Julius Palmarius*, discipulus non inelegans facundissimi *Fernelii*, & qui Xenodochio *Parisiensi* per biennium præfuit, grassante illic Pestilentiâ, in Libro 2do de Febre Pestilenti, cap. 24. hæc habet: *Quùm Vomitio Peste correptos acerbiùs infestat, sunt qui existiment naturam expultrice ventriculi facultate, quod molestum est, ipsam scilicet Febris causam à se amoliri, ac foras propellere; velintque ejus conatum exhibito Vomitorio medicamento promovere. Sed ii longè falluntur. Nam quò magis urget Vomitio, hoc periculosior febris pestilens esse solet, ut etiam plures vomendi finem non fecerint, donec animam vomendo profuderint.* Hactenùs vir cùm dicendi, tùm medendi, non mediocriter peritus. Et facilè *Palmario* assentior, si *Emetica* nimis serò exhibeantur, scilicet post primum vel maximè secundum diem ab invasione morbi; si unquam fortiora & *Antimonialia*, præsertim duranti hyemis rigore, si viribus jam enervatis à morbo vel naturâ, vel si graviditate, hæmoptysi, herniâ, aut structurâ corporis incommodâ, contraindicantibus, inconsultò propinentur; vel denique si prorsùs omittatur aut contemnatur *Emeticum*, tunc mutua permanet colluctatio inter

inter morbum & remedium, & natura interim contendit excutere morbum, & viâ quâ primùm debuit ejici, pergit frustrà evomere, *donec anima* tandem *vomendo profunditur.* Sed notandum est Medicos *Gallicos*, & maximè *Parisienses*, doctissimos quidem, omnique laude dignissimos, *Emeticorum* quorumcunque usum, ab illo tempore quo *Chymistæ* aureos montes, quod aiunt, Chymicis suis medicamentis temerè pollicebantur, & *Emetica Antimonialia* immodicè venditabant, ejusmodi in genere plusquam convenit reformidâsse, & ab omnibus *Emeticis* nimis abhorruisse, propter perniciem non raram *Benedictorum* illorum *Emeticorum.* Quis verò nescit eosdem Medicos Præclaros *Enematis*, *Venæsectioni*, & *Purgationi*, repetitis, quantumlibet fuerint utilia, temperatè instituta, nonnunquam nimis pertinaciter favisse? Etenim & ipse juvenis, cùm *Parisiis* olim versarer, ad animum in re Medicâ meliùs excolendum; & nescio quâ leviusculâ valetudine ibi tenerer, *Catharticis* ocyùs repetitis eò fui debilitatus, ut visu oculorum pænè privatus essem, nisi medicamentis Medicoque spontè valedicens, Diætâ solâ, aereque salubri restitutus fuissem.

Ut autem aliorum opiniones in reprehendendis *Emeticis* inter curandam *Pestem* consentientium ego prætereamr; audiamus è contrà quæ de *Vomitoriis* dixit Collega noster eruditus Dominus *Hodges*, qui deditâ operâ scripsit de *Peste* istâ dirissimâ quæ apud nos

Londini

Londini ultimò debacchata eſt: De *Peſte*, Sectione ſeptimâ, p. 170, *&c.*

Quod ad Vomitionem attinet, inquit, *Crapulâ præcedente, in ventriculo ſaburrâ humorum noxiorum congeſtâ, urgente nauſeâ, ore etiam amaricanti, conſentiente thoracis & cervicis conformatione, in morbi infantiâ, prodeſſe queant Emetica remedia, inter quæ illa eminere videntur, quæ ventriculum abundè nimis ſarcinatum citrà catharſin ſubvertant:* viz. *Syrupus diaſari Fernelii, ſyrupus Scabioſæ compoſitus, oxymel Scilliticum, ſal* præſertim *Vitrioli*, &c. Et pergit, *qui de meo conſilio ſerum cereviſiale cum foliis Cardui incoctis addito oxymelite ſimplici, affatim ingurgitabant, levamen indè & emolumentum illicò experiebantur.* Hæc *Hodges.*

Neque ampliùs equidem contendo, quàm ut *Emeticum* mite, tutumque in *principio Peſtis*, urgente *Nauſeâ* & *Vomitu*, quæ nunquam in eâ deſunt, quamprimùm exhibeatur. Etenim teſtatur ipſe *Palmarius*, licèt averſus ab *Emeticis*, *Nauſeam & Cardiogmum eſſe ſymptomata omnibus Peſte infectis communia*, ſive Pathognomonica. Quod quidem oſtendit quàm fragilis & infirma, quàmque tenuis ſit vel doctorum virorum Scientia & Peritia, & quàm omnibus expediat alienos errores facilè condonare.

In *Peſte confirmatâ*, ad *preces* ardentiſſimas decet confugere, vel etiam ad ardentia *Alexi-*

pharmaca vulgó confugitur, quæ ſæpè faces exurentes ferunt incendio præſenti increſcendo, ſed quæ etiam nonnunquam tunc *valebunt, quantum valere poſſunt.* Sin fortè effugiat tandem Peſte correptus, ſalus inexpectata debenda eſt Alexipharmaco; ſi pereat, morbus ille fatalis unicè incuſandus eſt. Videtis verò, Auditores ſcientiſſimi, quanto ſint uſui *Emetica in Infantiâ Peſtis*, ſi in eâ fuerit aliquod tempus tàm innocuum, aut aliter in *principio Peſtis*, ex teſtimonio noſtri docti, oculatique teſtis. Et profectò perſuaſiſſimus ſum, *Peſtem ipſam* ipſius *Peſtis*, eſſe fatalem & ad mortem timidum, tanti remedii neglectum, pariter atque perpetuum & communem Alexipharmacorum calidorum ſive uſum ſive abuſum, per totum Febris Peſtilentis decurſum.

Emeticum verò, quod maximè vobis laudarem, eſt omnium mitiſſimum, omniumque aliorum, ut ego conjicio, tutiſſimum. *Emetica Antimonialia*, quatenus vehementer ſurſùm ac deorsùm impellere ſolent, videntur eſſe in *Peſte* ſemper extimeſcenda. Sed *Vitriolum album* probare libet, quatenùs in ſe mitiſſimæ eſt operationis, & quatenùs tàm vis ejus minùs valida eſt, quàm regitur facilè ejus operatio: Quatenùs etiam vulgò facilè parabilis eſt, & pervili aut nullo conſtat pretio; & quatenùs facultate quâdam aſtrictoriâ debilem ventriculum poſteà corroborat, neque *Diarrhœæ* iſti perniciosæ extimulandæ,

landæ, quæ ità formidatur, quocunque modo favet, ſed potiùs præveniendæ *Diarhææ* in Febribus *Symptomaticæ*, ſiquid aliud, inſigniter prodeſt, longéque tutiùs id exhibetur, quàm *Vinum Benedictum*, eâ gratiâ laudatum à præclariſſimo *Sydenhamo*, in *Variolis Febribuſque Continentibus*. *Vitrioli albi* in pulverem tuſi duas vulgò ſemidrachmas in totidem hauſtibus aquæ tepidæ ſolutas, aut potiùs in *Peſte* drachmam ejus unam in primo hauſtu, & in ſecundo ſaltem ſemidrachmam; in hauſtu, inquam, aquæ tepidæ, aut levis decocti *Cardui* Benedicti, ſucceſſivè dare videtur convenire; ſed ingurgitationem illam immodicam unius *congii* ſeri cereviſialis, aut infuſionis *Cardui* nunquam laudo nec permitto, nè vomitionibus nimiis laceſſatur ventriculus, bilis exagitata & ferociens in furias irritetur, aut vis *Emetici* in ſolvendo humores tunicis ventriculi impactos, nimis obruta infirmetur. Id vomituris ferè injungo, ut duas ſolummodò libras aquæ, aut ſeri cereviſialis, aut ad ſummum tres, & nonnunquam duas vel tres ſelibras, neque ampliùs exhauriant.

Eidem intentioni poteſt commodè inſervire pulvis radicis *Epicacuannæ*, ad ℈ij. exhibitus; vel ad ʒß. in primo hauſtu, & poſt vomitionem ſemel excitatam repetendo ejuſdem ℈j. vel gr. xv. ſi modò pulvis, vel pulveres illi propinentur, ſine ſubſequente inſulsâ potatione liquoris tenuis copioſi, ut in uſum communem imprudenter abiit. Sin

 autem

autem in athleticis temperamentis operatio pulveris illius videatur fore nimis debilis, tunc addere illi licet *Tartari Emetici* granum unum aut alterum, ut intendatur ejus operatio.

Dominus *Bernier Gallicus*, in peregrinationibus ſuis ad regnum *Cachemire*, Paradiſum *Indorum* dictum, narrat ſe *Peſte* correptum ſtatim ſumpſiſſe *Butyrum Antimonii*, neque exindè ſe domi continuiſſe ultrà tres quatuorve dies. Dicit etiam ibidem, hoc qualecunque *Emeticum in principio Peſtis* mirabiles effectus conſtanter produxiſſe, in ſolamen aliorum, quamdiu ſibi reſtaret *Butyri* iſtius *Cornucopia*. Mirum ſanè remedium, miroque nomine *Butyri* donatum, niſi id ſit per *antiphraſin*, ut aliæ plures *Chymicæ* præparationes! Sed notandum eſt maximè, ſi tàm felices & inexpectati ſucceſſus ex *Cauſtico* tanto, tàmque venenato ſumpto, & in quo ferrum & ignis quaſi conjunguntur, atque in quo pugiones enſeſque acutiſſimi *Sublimati Corroſivi* facultatibus *Reguli Antimonii* ventriculum vehementer perturbantibus uniuntur, longè meliora equidem auſim augurari ex mitioribus tutioribuſque *Emeticis*. Memini me jamdudùm deguſtâſſe, ſine ullâ deglutitione, *Sublimatum Corroſivum*, aut ſemel atque iterùm, vel fortè ter ad ſummum, id linguæ meæ extremitati leviter admoviſſe, ut ſcilicet experirer, utrùm *Mercurius dulcis*, an *Corroſivus* fuerit, in chartâ repoſitus; & poſteà citò

tò insecutam tantam sanguinis totius inflammationem, ut protinùs libram sanguinis è brachio detraherè, proximoque die catharsin adhibere, necesse existimarem, ad inflammationem istam citiùs compescendam; quoniam tunc temporis Munus meum requirebat, ut protinùs attenderem propè *Regem* in *Flandriam* illicò proficiscentem. Quod sanè infortunium dignissimum ego judico observatione, & commemoratione illorum qui *Solutionem Metallicam* dictam, sive infusionem *Sublimati Corrosivi*, in spiritu vini rectificato, ad virus Venereum alio veneno extinguendum, Lue Venereâ infectis dare non exhorrescunt.

In *Memorabilibus Literaturæ* non ità pridem apud nos editis, legere contigit epistolam Doctoris *Staar* Medici *Poloni*, de *Peste* paulò priùs grassante *Cracoviæ*, ubi dicitur quendam Doctorem *Schonbergh*, Medicum ibi clarum, illi narravisse, quòd *plusquam trecentos Peste* correptos curavisset *Cracoviæ*, partim *Emetico* opportunè exhibito, partim cum Elixir quodam ibi descripto. Quod recens testimonium visum est æquum vobis communicare.

Sed ut idem argumentum adhuc nonnihil confirmem, liceat & hoc nunc denique subjungere. Cùm plures olim è Societate nostrâ conventum subindè haberemus, de rebus Medicis plerùmque confabulantes, & fortè de *Peste* colloqueremur, egoque tunc dicerem,

cerem, me velle, si *Deo* placeret, præ aliis omnibus *Emeticum* exhibere *in Principio Pestis*, ac deindè operatione ejus finitâ Bolum Alexiterium: Quidam Medicus ex illis sodalibus, nunc defunctus, sententiam nostram maximè confirmavit, dicendo se pro certo accepisse ab ore ipso Medici senilis, qui interfuerat postremæ *Pesti Oxoniensi*, quòd eandem ille Methodum constanter persequens, *vix ac nè vix unum Peste* correptum tunc desiderâsset, cùm tempestivè fuerat illis accersitus.

Nihil dicam de exemplis aliis quæ autores, & inter cæteros clarissimus *Riverius*, proponit in Centuriis suis Observationum, eandem rem confirmantia: Nempè ille insigne *Vitrioli* emolumentum ibi significat, neque ille contemnere videtur, sed potiùs laudare *pennæ oleo illinitæ immissionem in fauces, ad Vomitionem* leniter *excitandam, in Principio Pestis*, si alia non sint præstò.

Denique *Ventriculum*, cujus gratiâ *Emetica* solent exhiberi, in *Peste* affligi & plurimùm lædi, æquè ac *Cor* ipsum, certò evincunt non modò *Vomitiones* semper morbum concomitantes, sed *DiarrhϾ* istæ fatales toties contingentes, & ventriculum perturbatum, ut caussam, subsequentes; pariter atque *Singultus* & *Cardialgiæ*, & præsertim os ventriculi nervosum in apertis nonnunquam cadaveribus repertum *Sphacelatum*.

Et

Et hæc de *Emeticis* paulò fusiùs dicta considerationem omnium diligentem benè merentur, & præsertim illorum qui cum doctissimo *Diemerbroeckio*, aliisque autoribus claris, nimis favent Diaphoreticis & Alexipharmacis calidioribus exhibendis, *tàm in ipso Pestis principio, quàm secundâ tertiâve die ab invasione.* Quandoquidem error magnus, vel omissio notabilis, in principio Febris tàm periculosæ, non est posteà arte Medicâ reparandus, nisi perquam incertò; quemadmodùm error in primâ Coctione, juxtà communem Medicorum sententiam, nequaquam est corrigendus in secundâ vel tertiâ.

De *Emeticis* plus satis. Transeamus jam ad *Alexipharmaca*, quæ habentur in *Peste* unicum *Asylum*, sicubi infectò fuerit *Asylum*, ad quod omnes autores illos vulgò committunt, misereque valentes illi libentissimè confugiunt. Quò magis ad Boream migratur, eò magis intendi solet vis fervida Alexipharmacorum; adeò ut *Moschi* melioris notæ, sanitate optimâ gaudentes, pro jentaculo quodam, vulgò soleant se reficere, haustu spiritûs vini cum pulvere piperis exaturati: Et quò longiùs descenditur versùs meridiem, eò magis regimini refrigeranti omnes favent; adeò ut juvenes ac mulieres, illis regionibus nati, vix unquam Vinum degustare consuescant, metu infamiæ insequentis. Satis superque *Formularum* doctissimarum, sive ad pompam, sive usum excogitatarum apud autores

tores facile eſt corradere vel colligere, ſiquis illarum copiam velit accumulare. Sed pace veſtrâ liceat nonnihil doli, & improbuli artificii ſuſpicari in tot compoſitionibus medicamentorum redundanter delineatis, totieſque nimis amplis, pompoſis, nimiſque impensè elaboratis; in re obſcuriore, & morbo perdifficili intellectu.

Liceat etiam verecundè *ſuſpicari* communem illum & pænè ubique invaleſcentem, ſive morem, ſive errorem, Medicorum doctiſſimorum perindè atque vulgarium, qui nullam concipiunt ſpem curandi unquam *Peſtem*, calidiſſimum morbum, utpotè qui Cor, Ventriculum, Cerebrum, totum denique corpus, ſummâ omnium *Inflammatione*, percellit & labefactat, niſi *per calidiſſima medicamenta*, Alexiteria ſive Alexipharmaca. Certè æquiſſimum eſt ea omnia ſuſpicari, cùm vulgò tàm infauſta ſint, cùm tantæ ægrotantium ſtrages undique contingant, iſtâ fatali methodo, iſtiſque cauſticis medicamentis. Propoſitum generale ejuſmodi remediis utendi ſeu abutendi, ſemper fuit, ut *Sudores* ſalutares exindè eliciantur; ut morbus in internis & principibus corporis partibus ſæviens ac deliteſcens, à *centro* ad *circumferentiam* propulſetur & expellatur. Quæ quidem indicatio æquè benè, & longè tutiùs, auxilium ſuſcipit, ſiquis ad diaphoreſin excitandam cupidus lecto ſe contineat, & idoneis ſtragulis corpus, ac præſertim pedes, probè tegat, caput pileis laneis benè conte-

ctum

ctum vinciat, & ſubindè bibat de ſero poſſetico Salviato vel Anthoſato calefacto.

Quinetiam ſunt in uſu frequenti Temperata medicamenta Diaphoretica, inter quæ *Teſtacea* non infimum locum tenent; & quibus propinatis, aut cum *Bolo Armenâ*, *Antimonio Diaphoretico* recenti, pauco ſale *Abſinthii*, &c. exhibitis, quenquam Inflammatione correptum nemo poteſt lædere, quandocunque prudenter uſurpantur. Neque animo complecti poſſum, cur his tutis & ſalutaribus medicamentis poſthabitis vel contemptis, *Inflammationem intendentia*, & periculoſiora, in *maximâ* omnium *Inflammatione*, fuerint ita uſitata.

Quòd verò *Peſtis* habenda ſit morbus ſummè *Inflammatorius*, teſtantur præſertim *Bubones Peſtilentes*, de quibus omninò ſiluerunt, nullamque fecerunt mentionem Medici antiqui, & qui *Bubones* ſunt Tumores graviſſimè cruciantes, atque in *Abſceſſus*, legitimam progeniem *Inflammationum* terminantes. Idem etiam comprobant *Carbunculi* & *Anthraces* ardentiſſimi, carnium putrilagines, & *Stigmata Peſtilentialia*, ſive *Mortificationes* per corporis ſuperficiem diffuſæ, & à ſummâ *Inflammatione*, Gangrænas illas præcedente, oriundas. Neque his obſtat, quòd *Pulſus* fuerit in *Peſte* ſæpè obſcurus, exilis, imbecillis & inæqualis, pariter atque nunc plenior, firmus & fortis, juxtà gradus & tempora morbi, quia in *Gan-*

græná summam Inflammationem insequente, pulsatio arteriarum diminuitur, & exilis est & obscura, aut prorsùs perit.

Quod ad *Sudorem* in *Peste* producendum attinet; ut plurimùm satis facile est, si ità sit animus, Sudores in lecto decumbentibus elicere, cùm *Pestis* ad sudandum maximè est *proclivis*: Sed non ità facile est pluribus persuadere, ut in sudando satis diu persistant. Etsi enim in aliis Febribus ad diaphoresin propensis, ego disertis verbis claré & vehementer prædixerim, mortem quibusdam certò citóque adventuram, si *sudorem* profluentem illi *interpellarent*, & lecto intempestivè surgerent; salutem verò & incolumitatem, *Deo volenti*, fore illis indubitatam, si in *Diaphoresi* satis diu perseverarent; tamen nescio quâ pervicaciâ perperàm ductos non raró observaverim quosdam illorum admonitionibus Medicis nolle obtemperare, sed sudores visos paululùm molestos citiùs interrupisse, aut è lecto surgendo, aut stragula ad refrigerium detrahendo: Undè Mortem sibi immaturam ocyssimè accelerârunt.

De Sudoribus dicit *Hodges**: *Levamen & emolumentum ab hâc evacuatione, modò regularis esset, sive spontanea sive artificialis, tàm insigniter emicuit, ut Correpti quotquot superstites, ejus commoda benè nôrint, encomia passim celebraverint.* Quasi in

* Hodges de Peste, §. 5. de Pestis nuperæ Signis manifestis.

Peste confirmatâ, nulla alia illi methodus eam curandi videretur conducere, vel posse prodesse, nisi id sit per *Sudores* aut Arte aut Naturâ copiosè profluentes.

Sin autem calida medicamenta ad *sudores* incitandos in hoc morbo velim administrare, Simplicem illam radicem *Serpentariæ Virginianæ*, propter facultatem ejus diaphoreticam & alexiteriam, multis splendidis compositionibus, aliisque omnibus saltem simplicibus anteponere non vererer, eâ interim lege, ut mediocri quantitate, non nimis liberâ, propter insignem ejus calididatem, exhiberetur. Et profectò si in quâcunque Arte exercendâ opus sit cautelâ, probitate & integritate singulari, certè in *Arte Medicâ* ea convenit, maximè necessaria est, & præ aliis summè conducit ad *Benedictionem Divinam* impetrandam.

Neque ego vereor palàm profiteri, me in *Febribus* vulgaribus servorum aliorumque tenuis conditionis, non raró observâsse, infusionem debitam duorum manipulorum florum *Chamæmeli* solorum, aut unà cum manipulo florum *Sambuci*, aut *Anthos*, in libris duabus aquæ bullientis, illiusque Infusionis uncias quatuor vel sex sæpè sumptas longè plùs profuisse talibus febricitantibus, utilesque illis fuisse clariùs & evidentiùs, quàm aliter observare potui, ex usu frequenti præscriptionum elegantiorum, de quibus nihil certi & explorati

ità poteſt ritè ſtatui. *Magnificè* igitur *præſcribat, pulchrâ* ſcil. *variatione, Medicus Politicus*, qui ſtudio quæſtûs nimis ducitur, aut qui inani *Gloriolâ* incitatur, & qui *Simplex Honeſtum* ludibrio habet joculari. Sed qui Simplicem Religionem colunt, atque innocentiam ſummam profitentur, audeant *Honeſtè* agere, & ſine quocunque fuco, in rebus maximi momenti, pleniſque periculi: Audeant, inquam, innoxiè ſe gerere, & quando æquum videbitur, *Simpliciter præſcribere.*

Attamen nollem temerè imminuere meritas laudes magnarum quarundam Compoſitionum à majoribus noſtris egregiis excogitatarum, & in uſum communem ſemper in promptu habitarum, ſed ad alios longè uſus, ad venena, & ad chronicos affectus varios, *non Febres* profligandas inventarum; cùm in febribus contemperandis *Aqua hordei*, juxtà *Hippocratem*, videtur multis aliis omninò præponi debere. Neque fas eſt improbare *Antidota* temperata recentiorum, inter quæ *Diaſcordium* cenſemus primas obtinere, & ſingularis eſſe uſûs, ſiquod aliud Antidotum, adversùs *Febrem Peſtilentem.*

Nolo vobis tàm doctis, neque convenit, præſcripta quæcunque, aut prægrandes Compoſitiones alienas, nè dicam Formulas proponere. Ejuſmodi enim variè componi neceſſe eſt, pro varietate Symptomatum, & rerum ſic & ſic ſtantium, pro facultate, peri-

tiâ

tiâ & obſervatione Medici præſentis, & pro viribus valentibus aut invalidis Morbi vel Naturæ: ad *Diaphoreſin* ſcilicet magis vel paulò minùs promovendam. Verùm in hujuſmodi præſcriptis, ſi animus eſſet ea uberiùs exponere, nullam mentionem equidem facerem *Theriacæ Andromachi* aut *Mithridatii*, propter *Opium* in illis, & maximè in Theriacâ prædominans, quandoquidem inter *Sudores* tunc eliciendos *Somnus* unanimi conſenſu interdicitur. Et certum eſt, *Sudores Febricitantium*, multò magis *Peſte correptorum*, nequaquam eſſe cohibendos, antequam Symptomata planè miteſcant, neque tunc niſi admodùm lentè, ſummâque cum cautelâ.

In *Sudore Anglico*, *Peſte* quâdam habitâ, quæ apud nos præſertim ſæviebat A. D. 1551. cùm ex iſto *Sudore* octingenti in ſeptimanâ vitas ſuas derepentè redderent; ſiqui morbo illo correpti obdormirent, & cui ſomnolentiæ maximè erant proni, certo certiùs perierint. *Antidotus* illius *Peſtis* optima fuit & unica, *Sudori* profluenti *indulgere*, quouſque *Febris* fuerit profligata; quod intrà viginti quatuor horas celeriter illis contigit, & quâ re cognitâ, ac *Diaphoreſi* ſic ſatis peractâ, omnes deindè evadebant.

Notandum verò, ſi *dolor* magnus graviſque partem aliquam corporis peculiariùs affligat, in ſtatu Peſtilentiali, *Emplaſtrum Angeli Salæ ad Anthracem*, tempeſtivè adhibitum,

tum, Venenum foràs attrahet, & evocabit, ut aut ſine repercuſſione id evocetur, aut humores confluentes, in inguine, in alis, vel ſubter aures, in Tumorem & *Abſceſſum* ſalutarem tutò coeant. Sic verò illud *Emplaſtrum* deſcribitur in ſuo Ternario Bezoardicorum:

℞. Gummi Sagapeni, Ammoniaci, Galbani ana ℥iij. Terebinth. coctæ, Ceræ candidæ ana ℥iiijß. Magnetis Arſenicalis ſubt. pulv. ʒxviij. rad. Aronis pulv. ℥j. f. Emplaſtrum coquendo *ſ. a.*

Ad foràs eliciendum venenum, viruſque in pus convertendum, inquit, *eximiâ ſpecificâque virtute pollet. Magnes* ejus *Arſenicalis* conſtat ex Arſenici pellucidi, Sulphuris vivi, & Antimonii crudi ana p. æqu. pulveratis, & in matracio vitreo, in furno arenæ, colliquatis.

Quòd hoc *Emplaſtrum* adhibitum parti dolorem perpetienti in *Peſte*, inſignes illas vires conſtanter habuerit, accepi à Reverendo admodùm Doctiſſimoque viro, ſagaci ſimul & veraci, cui id fuit communicatum à perito Pharmacopolâ, qui uſque interfuerat poſtremæ *Peſti Londinenſi*, & qui eodem fuerat uſus felici ſemper cum ſucceſſu, *in Doloribus illis à Peſte obortis.* Sed neſcio annon illud Emplaſtrum queat ſatis potenter attrahere extrorsùm humores intùs excruciantes, ſine ope *Magnetis* iſtius deleterii. Et in defectu ejus

Emplaſtri

Emplaſtri videtur præſtans illud *Emplaſtrum* noſtrum, *Diachylon cum gummi*, in eundem finem poſſe plurimùm conducere.

Cùm verò vires proſternuntur, ſpiritus peſſundantur, *Corque* ipſum in *Peſte*, præ aliis morbis, graviſſimè afficitur; *Spiritus Cornu-cervi* per ſe deſtillatus, videtur inter ſudandum ſummè neceſſarius. Vel etiam loco aliorum *Cardiacorum*, permittatur mihi laudare *Vinum* maximè *Canarinum* calefactum & temperatè ſumptum: Quo *Vino* nos gaudemus & abundamus, vel antehac abundavimus, præ aliis omnibus gentibus, quaſi jure nobis ſolis exhilarandis, & *Melancholiæ* noſtrati Epidemicæ leniendæ, id dicaretur. Hoc ſcilicet *Vinum* deſcripſit, mirèque prædicavit, guſtu quodam elegantiſſimo, noſter doctus Collega, in Libro ſuo de *Peſte*, & cui deſcriptioni nihil poteſt ritè addi à combibone ſtudioſiſſimo; ſic verò buccinavit *Vinum* ſibi cariſſimum: *

Sit Vinum adultum, h. e. ætatis mediæ, non vetuſtate edentulum, ſit homogeneum, non mixtum, non caſtratum, ſit mite, ſincerum, ſit ingentium virium, ſaporis æqualis & vivacis, ſit odoris ſimplicis, gratiſſimi, velut juglandium recentium, ſit minimè ponderoſum, in effuſione tripudians, inter bibendum nares feriens, & oſcula figens labiis, igni admotum ocyſſimè evolans, nulla poſt ſe linquens fæculentiæ veſtigia.

---

* In Sectione 8vâ.

Hæc

3

Hæc *Vini Canarini* maximè idoneus judex, qui in ſtudio ac contemplatione tàm jucundâ conſeneſcens, tandem ſolebat nonnunquam, ut multa alia *Magna Ingenia*, evigilare, *Lucubrare*, pernoctare. Etenim ille in Armigerum juvenilem præterequitantem incidens in viâ (& quem bis ex *Crapulâ* febricitantem inviſiſſe in Comitatu *Surriæ*, & curâſſe mihi contigit) huic facilè perſuaſit, ut ex equo deſcenderet, atque Oinopolium ingrederentur, ad deguſtandam ſelibram Vini *Canarini*, quod quidem ambobus ità perplacuit, ut non diſcederent ab Oinopolio, priuſquam illi duo conjunctim *triginta duas ſelibras* illius *Nectaris* exhauſiſſent, ut id ab obſequioſo illo Generoſo quondam didici.

Sed fortè non tanti refert in curandâ *Peſte*, utrùm *Vinum*, quod infectis permittitur, fuerit *Hiſpanicum*, *Gallicum*, *Italicum*, aut *Luſitanicum*, modò fuerit potentiſſimum puriſſimumque ſui generis; tunc enim haberi poteſt *Cardiacum Cardiacorum*, & præſertim ſi id ægris *calefactum* bibatur. Et ſiquis voluerit in Vino infundere radicem Serpentariæ Virginianæ, Petaſitidis, Angelicæ, Helenii, Carlinæ, Imperatoriæ; aut folia meliſſæ, ſcordii, galegæ, rutæ, abſinthii, &c. non decebit repugnare.

De viribus *Aceti* ex vino facti multa poſſunt conſcribi, ſed ea in præſentiâ prætereo. In

In genere verò permittatur dicere, *Aquam* ſimplicem, *Acetum* etiam, tàm Simplex quàm Compoſitum, (ſive fuerit ad præſens Theriacale, Rutaceum, ſive aliter Antipeſtilentiale) *Vinumque* nobile, videri eſſe tria optimorum, & fortè maximorum auxiliorum internorum, quæ aut Ars aut Natura, in ſalutem hominum, unquam vel uſpiam ſuppeditavit. De variis *Aceti* viribus & facultatibus, præ aliis autoribus conſulamus *Dioſcoridem*, lib. 5. cap. 21.

De *Venæſectione* in *Peſte* conſultò nihil dixi, utpotè qui laudare malui tutum illum *Emeticorum* uſum, *in principio* ejus, cùm ratione non mediocri, tùm experientiâ multiplici comprobatum, modumque vulgari tutiorem comparandi *Diaphoreſin* in morbo obfirmato, ut & facilem modum *attrahendi extrorsùm* humores noxios & excruciantes intùs deliteſcentes, in Tumorem ſalutarem aut Abſceſſum; quàm *Experimentum* proponere quodcunque dubium aut *Periculoſum*. De hâc re qui ſententias varias velit examinare, aut diſſentaneas componere, præ aliis multis autoribus conſulere dignetur *Sydenhamum* & *Diemerbrockium*, utrumque doctiſſimum peritiſſimumque Medicum. Et verbo, prior inſignia quædam exempla pro incidendâ venâ profert, poſterior ſanguinis detractionem in totum meritò damnat, tàm *Curandi* gratiâ, quàm *Præſervandi*. Sed notandum eſt, in patriâ floruiſſe hunc poſteriorem, ubi, ſuo ſaltem

E tempore,

tempore, multis fuit quoddam piaculum sanguinem copiosiùs vel omninò mittere, in quocunque ferè morbo, non exceptis Inflammatoriis.

Et hæc hactenùs dicta sint, cum omni debitâ observantiâ, pro alienis aut melioribus sententiis, de *Curatione Pestis* certiùs aliquantò faciendâ. Siquid autem in hâc Dissertatione, de Curatione scil. Morbi reconditi, perrari, & perdifficilis intellectu, jam exciderit, minùs rectè dictum, vel minùs verisimile, quod spero sit pauxillum, viri boni id facilè condonabunt, utpotè paratissimo sententiam, si iniqua fuerit comperta, in melius commutare, & Magnam Veritatem unicè colenti.

Verùm sanè *Natura* est omnibus animalibus benevolentissima, ac præsertim Humano generi, cæterorum Domino constituto, neque quidem assequi possum, cur *Natura* ipsius *Pestis* fuerit reddita crudelior aut immanior in regionibus magis Temperatis, quam sit in Intemperatis. Quòd si Doctrina vel Consuetudo regionum Temperatarum propensos reddat Magistratus vel Medicos, inhumanis illis infectorum cohibitionibus, vel pejoribus medendi methodis, quàm quæ vulgò invalescunt apud barbaras dictas nationes, magisque situ intemperatas, dignemur tandem ab his *honestis* nonnunquam discere, & ab his *ignaris* benè instrui. Nè sit ullis dedecus de sententiâ discedere,

dere, quandocunque eſt erronea, etſi à pauculis viris probis propterea collaudentur.

Prophylaxis Peſtis optima eſt, fugâ celeri, à contagio, ſaluti ſuæ proſpicere. Si rerum domeſticarum ratio id non permittat, maxima omnium *Prophylaxis* à *Chirurgiâ expetenda* eſt, longéque tutior, & multis aptior quàm quæ à *Pharmaciâ* deſumitur, aut ab ejus Suffumigiis, Odoribus, Amuletis, Antidotis, aliiſque pluribus, quorum nonnulla tunc temporis ſunt minimè contemnenda. Et mirè quidem conſentiunt autores maximè idonei in *Fonticulis* tunc aperiendis, Præſervandi gratiâ.

Mercurialis libro de *Peſte* teſtatur, ſe innumeros vidiſſe *Peſte* correptos & *extinctos*, ſed neminem illorum omnium vidiſſe, qui occumberet *Fonticulo* præmunitus, excepto unico Sacerdote. Ille multos alios Medicos de eâdem re interrogavit, qui unanimi conſenſu idem teſtimonium perhibuerunt. Affirmat *Hildanus* in Centuriâ 4tâ Curationum Chirurgicarum, Obſerv. 23. neminem eorum qui *Fonticulos* in brachiis & cruribus habuerunt, ex *Peſte* obiiſſe *Lauſaniæ*, præter unum aut alterum, ſummè Cacochymicum; dicitque duos ſeipſum habuiſſe *Fonticulos*, alterum in brachio ſiniſtro, alterumque in poplite dextro. Narrat clariſſimus *Diemerbroeck* in annotationibus ſuis ad Prophylaxin ſuam Chirurgicam, ſe inſignem *Fonticulorum* utilitatem vidiſſe in *Peſte Noviomagenſe*, idque non

modò in hominibus euchymis, verùm etiam in cacochymis, quos illorum ope mirè præservatos vidit. Denique doctus noster *Hodges* * *intrepidè asserit*, sicut loqui illi placuit, quòd *quoties in loca maximè contagiosa se contulerit, toties brachii pars, ubi situs fuit Fonticulus, pessimè cruciaretur, effluente mox sanie, cum dolore pungitivo lancinante; datoque hoc signo Infectionis, se ad Alexipharmacum confugere solere.* Mitto cætera testimonia in re tàm exploratâ.

Sed ad confirmandum ulteriùs *Fonticulorum* usum in *Peste* præveniendâ, nequeo prætermittere Testimonium congruum, prioribus finitimum, neque à proposito nostro prorsùs alienum, quod mihi nuper communicavit Celeberrimus Peritissimusque Medicus, vir cùm universâ rerum Naturalium cognitione, tùm Medendi arte instructissimus, Dominus *Tancredus Robinsonus*, Medicus Regis Serenissimi è Primariis. Ille non ità pridem probè noverat quendam Dominum *Pregestum*, Medicum *Hungaricum*, apud nos ad aliquod tempus commorantem, qui pro certo illi affirmabat, se fuisse versatum cum multis *Peste* correptis, durante illorum Ægritudine, & intereà se præstitisse incolumem à Contagio contrahendo, per duo *Setacea* perforata, unum in utroque Inguine; & quem *Præservandi* modum didicerat *Pregestus* à Me-

* In Sectione 8.

dico

dico quodam docto, *Viennæ* medicinam factitantis. Et existimo ea *Setacea*, tanti saltem, vel plus valere posse ad tuendam Sanitatem, *Fonticulis* prædictis, quia duplicem Puris quantitatem ex utroque eorum foramine cogunt emanare, quàm possint Fonticuli fermè efficere. Nihilominùs videntur *Fonticuli* in usum communem gestari commodiores. Electio alterutrius sit cuilibet pro arbitrio; sed alterutrum est longè optabilius, quàm discrimen illud extremum *Pestem* ipsam contrahendi, aut temerè periclitandi. Et sanè inter tantam Calamitatem nequaquam convenit stultula ista mollities Dominarum delicatularum, quæ aliàs abhorrent à *Fonticulis* quantumlibet necessariis, nè eâ re cognitâ aut olfactâ Amantium Honestorum ardor contingeret refrigescere.

Quinetiam in *Pestilenti* statu gaudio aliquo perfundantur, qui *Ulceribus* inveteratis tunc scatent, vel qui *Herpete*, *Scabie*, *Impetigine*, aut similibus *Fonticulorum* succedaneis, afficiuntur, utpotè quibus omnibus tunc insignis aliquis *malo fuit usus in illo.*

Præter *Fontanellas* & *Setacea*, alia quædam erunt perutilia ad *Præservandum*. Frustulum *Myrrhæ*, in ore sæpiùs detentum, ab afflatibus Contagiosis, præ cæteris, ut opinor, potest quempiam conservare. Item fumus tempestivus *Nicotianæ* graveolentis, ab afflatu isto vene-

venenato contrahendo plurimùm tuetur. Fasciculus foliorum *Rutæ* naribus vulgi adhibitus non ineptè accommodatur. Simplicissimus ille haustus *Aquæ Salitæ* videtur antecellere multis remediis pretiosioribus, Bezoardicis dictis, vel absurdè Benedictis. Quandoquidem vulgaris ille haustus, manè jejunis sumptus, plures, ut accepi, reverà reddidit immunes à Contagio, in ultimâ *Peste Londinensi*. Item pulveris radicis *Enulæ Campanæ* aliquantulum deglutitum, pauperibus aliisque non erit incommodum, si manè sumatur, & nonnunquam iteretur, mediocri verò quantitate, nè corpus nimis excalfaciat.

Electuarium Præservativum viri integerrimi, *Hermanni Vander Heyden*, descriptum in libello suo Honesto, de viribus *Seri lactis*, *Aquæ*, & *Aceti*, notitiam nostram meretur, idque aut consimile potest multis commodè inservire. Constat è *Diascordio*, cum pulvere nucis moschatæ, rad. angelic. Zedoar. enul. camp. aliisque, cum aceto, ol. sulph. per campanam, & Syrup. è succ. citri.

Denique maximè notandum est, tempestates anni varias, aliam atque aliam Medicamentorum rationem postulare. In *Æstate* magis conveniunt *Acida*, frigidiora, aut temperatiora: In *Hyeme* potiùs Alcalia, diluentia Calefacta, aut Medicamenta paulò calidiora.

Deus

Deus clementiſſimè avertat *Contagium* propè imminens ab *Inſulâ* hâc *Fortunatâ*, nimirùm per Oceanum ſeparatâ à cladibus peſtiferis & rapinis, quæ tot Regna non procul diſſita longè latèque devaſtârunt. Et cùm hæc regio *Felicitatis* & *Libertatis* ſingularis, à *Luporum* aliorumque ferorum animalium rabie omninò liberatur, à feris moribus, turbulentis, & inhumanis, & ab *Avaritiâ* communi omnium deterrimâ (undè exurgunt *omnes Calamitates*) oro nunquam pervadetur & inficiatur.





DE

Inoculatione Variolarum.



INTER tot ſermones, in ore omnium nunc habitos, de *Inoculatione Variolarum*, æquum videri poſſit demùm adjicere, quæ non ita pridem maximâ ex parte dixi, coràm Collegio, in fine Prælectionis de Curatione Variolarum. Siquidem *Inoculationis* ratio ſimplex & innocentiſſima, ſæculo præterlapſo, Experimentis novis ſummè inſignito, ab indoctis populis *Orientalibus* inventa, jam ad nos longè diſſitos, *Divinâ Providentiâ*, fuerit deducta ad comparandas, ſi *Deo* placeat, Variolas tutas ac benignas. Idque eò opportunius videri poſſit, quia *Variolæ Confluentes*, inter Nobiles æquè ac vulgares diram ſtragem apud nos nuper ediderunt: Et quia *Inoculatio* debitè adminiſtrata, à *Confluentibus Variolis* contrahendis nunquam non ſervat incolumes, mirèque tuetur.

Et maximè ad hanc rem ſpectat, atque Obſervatione noſtrâ eſt admodùm dignum, quod ſcripſit à *Conſtantinopoli*, menſe Decembris A. D. 1713. Domino Doctori *Woodward*, Docto

Docto noſtro Collegæ, Dominus *Emanuel Timonius*; & quæ ejus Epiſtola, Latinè doctèque conſcripta, paulò pòſt fuit typis mandata in *Tranſactionibus* editis à *Regiâ Societate*. *Timonius* ille egregius, in Peregrinationibus ſuis nuperis adeptus fuerat gradum Doctoratûs in Medicinâ tàm *Oxonii* quàm *Patavii*, & poſt reditum ſuum domi, invitabatur eſſe Medicus *Grandiſſimo* ſuo *Domino*, ſive Imperatori *Turcico*; ſed iſtum Honorem periculoſum, prudentiâ præditus, ſubmiſſe declinabat. Narrat verò in Epiſtolâ, *Tartaros*, *Circaſſios*, *Georgianos*, alioſque populos *Aſiaticos*, Barbaros noſtris dictos, ſed bonos, & Ratione eâdem nativâ ornatos, quâ docti nonnunquam ſuperbiunt, alioſque temerè aſpernantur: hos, inquit, populos à quadragintà tunc retrò annis *Conſtantinopoli* introduxiſſe *Inoculationem Variolarum*, ut eam ſubeuntes in poſterum præſerventur ab ulteriori metu morbi redituri, & ab omni periculo Variolarum deteriorum. Etenim ait mite illud contagium ab *Inoculatione* communicatum, rarò progignere pluſquam decem vel viginti Puſtulas, & in nonnullis ſolummodò duas vel tres, & pauciſſimos illorum centum Puſtulis affici; ut veriſimile eſt, aliqualem differentiam contingere poſſe, ex variis temperamentis, ætatibus, regimine, & diætâ.

Modus *Inoculationis* ſic deſcribitur à *Timonio*: " In cubiculo calido, vernoque tempore " vel autumnali, operator inſtitutus levia " aliquot vulnuſcula infligit muſculis Bra-

" chii, aut Radii hominis inficiendi, cum
" acu tricuſpide, aut nonnunquam phlebo-
" tomo. Acum verò trajicit tranſverſim,
" Cutimque ille attollit, donec guttæ aliquot
" ſanguinis è vúlneribus extillent. Et tunc
" operator locis pertuſis immiſcet ſtylo obtu-
" ſo, vel auriſcalpio Pus Varioloſum, quod
" paulò priùs extraxerat è tibiâ vel poplite
" ſanioris adoleſcentuli, qui paucis, diſtin-
" ctis & magnis puſtulis fuit affectus. Pus
" verò colligebat è Puſtulis punctis in vas
" mundum ſtatim occludendum, & in pe-
" ctore tepido ferendum, ad hominem ino-
" culandum, nempè ut gutta puris ità ac-
" cepti inſtilletur in ſingulas partes vulnera-
" tas. Denique loci tabo imbuti teguntur
" dimidio, corticis Juglandis, qui manet de-
" ligatus parti affectæ, per aliquot horas,
" nè Pus appoſitum defricetur, antequam
" ſanguis inficiatur. Sperata efflorescentia
" vulgò ſe exhibet die ſeptimo ab Inocula-
" tione peractâ, & ægrotans interim abſti-
" net à carnibus, omnique illarum juſculo."
Hæc *Timonius* in Epiſtolâ ſuâ fuſiùs.

Dolendum eſt quidem, virum tàm Bo-
num ac Benevolum, qui longè remotis popu-
lis Obſervationem Medicam tàm utilem &
incognitam, in morbo Epidemico & pericu-
loſiori, voluit primus benignè communicare;
virum etiam Scientiæ Medicæ tàm avidum
Studioſumque inter gentes illiteratas, ut in
has terras longinquas, omnibus literis perpo-
litas, proficiſceretur, Doctrinæ promovendæ

causâ: dolendum est, inquam, hunc eximium doctumque Medicum, amplâ fortunâ, multâque rerum copiâ donatum, postquam tot regiones, Regias, & Academias, oculis collustraverat, plenamque habuerat & Philosophicam comprehensionem Boni & Mali necessariò contingentis omnibus in hâc vitâ versatis, fore Vitæ ipsius tàm miserè pertæsum, ut in ætate suâ florentissimâ sibi mortem voluntariam non ita pridem consciсceret.

His quæ accepimus à *Timonio*, conjungere libet aliam de hâc re narrationem, mihi exindè communicatam à Mercatore nostrati, qui octo annos vixerat apud *Aleppo*, in *Syria*. Ibi uxor *Consulis Gallici* spectandos illi præbuit tres suos liberos, qui Inoculationem subiverant *Constantinopoli*, quo tempore maritus suus fuit Secretarius *Marchioni de Chateauneuf*, Legatione tunc fungenti versùs *Portum Turcicum*, à Rege *Christianissimo*.

Inoculatio illorum fuit hujusmodi: Operator adibat quempiam Variolis mitibus correptum, in tempestate opportunâ. Plures acus cum filis appensis trajiciebat per Pustulas maturas, quousque ista fila fuerint Pure satis imbuta. Et tunc statim adibat inficiendos, cutimque eorum radebat aciculâ, ad pisi majoris magnitudinem, donec sanguis tantillus è rasâ cute extillaret, quo peracto, filum Pure delibutum particulæ pertusæ paulisper affricabat. Hanc operationem executus est in quatuor partibus faciei illorum puerorum; nimirùm in fronte,

in utrâque genâ, atque in mento. Deindè eandem operationem iterabat in ambobus illorum metacarpiis, manuum & pedum; adèò ut quilibet illorum octo vulnuſcula, vel cutis raſuras ſuſtineret: Et è quibus emiſſariis vel fonticulis, ac præſertim è manibus, Purulentia Varioloſa, vel ichor paulatim emanaret. Et ſic illi tres, omneſque alii ſimiliter, ad integram ſanitatem ſunt tutò reſtituti, ſine turpibus iſtis *ſignis* quibus plures noſtrorum, ſi evadant, ſolent deformari.

Sed notandum eſt, hunc modum inconcinnum ſic *Inoculandi* faciem, fuiſſe phantaſticum quoddam inventum bonæ vetulæ Chriſtianæ, quæ diu priùs fuerat in hâc Arte operatrix. Illa ſcilicet opinata eſt, ſuam operationem fore quadantenùs *Conſecratam*, meliúſque ſucceſſuram, ſi vulnuſcula faciei ſanctam *Crucem* repræſentarent. Cæterùm poſthabitâ Superſtitione fœmineâ, nos inſtar virorum & prudentium agamus, atque *Brachia* aut *Crura*, à *Corde* remota, non *Faciem* tàm vicinam *Cerebro*, ſignemus aut inficiamus. Neque totidem cutis exulcerationes requiruntur ad contrahendam Contagionem. Eò ſufficiunt ulcuſcula ad ſummum duo ad Variolas tutas ac ſalutares acquirendas.

Hìc prætermittere nolui, mentionem facere Exempli inſigniſſimi, ad confirmandum apud nos ſaluberrimum uſum *Inoculationis Variolarum*; quæ adeò tuta & innocua eſt jam reperta *Conſtantinopoli*, adeóque univerſim ibi invaleſcit,

invalescit, Experientiâ fideli illos omnes instruente, ut æquissimus facti Judex, & maximè proprius discriminis, siquod fuerit, Observator, Excellentissimus Dominus, nuper *Legatus Regis* Perillustris, non dubitaret permittere *Filium* suum *unicum*, & *Hæredem* (maximum suum Thesaurum) Cantagionem Variolosam ibidem sic contrahere.

Quinetiam idem Dominus Prudentissimus, ut saluti Familiæ suæ Honorabilis ulteriùs prospiceret, & fortè etiam ut alios, tanto Exemplo proposito, magis animaret, in re tàm salubri ad posteros suos Præservandos; *Filiolam* suam quinquennem, circiter initium mensis *Maii* jam elapsi, apud nos *Inoculavit*, uno scilicet vulnusculo in utroque brachio inflicto, ex operâ Domini *Maitland*, ejusdem sui Chirurgi, qui eandem operationem priùs executus est, in dilecto suo Filio apud *Constantinopolitanos*, & utramque eodem felici cum successu. Testari equidem possum, hanc teneram Dominam mitissimo Variolarum genere fuisse affectam, usqueadeò ut morbus illam non postularet interdiu lecto decumbere; neque potui annumerare plusquam *duodecim Pustulas* totam ejus faciem pulcherrimam obsidentes, & similiter paucissimas vidi per corpus artusque dispertitas, vix eas dignas enumeratione.

Sed maximè notandum est, tenuem moderatamque Diætam, (carnibus scilicet interdictis, unà cum vino & liquoribus spirituosis) inter

ter hoc Contagium contrahendum, æquè ac alios afflatus Variolosos, esse summè necessariam; & calida omnia medicamenta, ad expellendas scil. Variolas ingurgitata, in his quemadmodùm in aliis casibus, perniciem maximam inferre, & pro Pustulis è cute, ægrotantes ex rerum naturâ, solere frequenter exturbare. Apud *Orientales* populos, ubi in usum abiit *Inoculatio*, Cardiaca ista desunt, neque ea concupiscunt. Sed in *Britanniâ*, ubi non modò omne vulgus, sed & multi superiores in omnibus ferè *Febribus*, perindè ac *Variolis*, perpetuo *Cardiacorum* desiderio incenduntur, videtur esse summè necessarium, ubi perficitur *Inoculatio*, ut serva fidelis adsit, quæ diligenter observet, nè *Nutrix* arrogans *Cardiaca* sua calida, ad expellendas præproperè Variolas, furtivè introducat. Idque eò magis in hoc genere observandum, quia nunquam ante septimum, & sæpiùs die octavo vel nono, benignæ hæ Variolæ solent prodire vel erumpere.

Notandum etiam *Constantinopolitanos*, quò meliùs explorarent, an *Variolæ* possent posteà corripere priùs infectum, *bis vel ter Inoculâsse*, Experientiæ gratiâ, eundem hominem, qui *priùs* fuerat *Inoculatus*; sed illud semper tentatum irrito conatu. Nulla posteà subsequetur partis incisæ rubedo aut inflammatio, neque Pus in putamine nucis inclusum & parti adhibitum, iterùm attrahetur in vulnus absorbendum. Quæ quidem est indulgentia benignissimæ Naturæ, ut non permittat quenquam mortalium bis quocunque modo contrahere *veras* ac genu-

inas

inas *Variolas*, vel in ſummum vitæ diſcrimen bis ex illo morbo incidere. Quòd ſi inſtantia ſingularis contrarii nonnunquam, licèt rariſſimè, apud nos contingat, ut plura ejuſmodi diſſimilia vidiſſe contigit, id prodigioſo partui, vel oſtento cuidam inſolito ſit comparandum. Quamvis enim *Leges Naturæ* ſint fixæ & determinatæ, tamen *Supremus* Naturæ Mundique *Rector*, pro beneplacito ſuo Sapientiſſimo, poteſt eas *Leges* ſuas ſuſpendere, perrumpere, & immutare. Et hæc de *Inoculatione Variolarum* nunc ſufficiant.

Sed & præter *Inoculationem* illam *Turcicam*, mos eſt alius, etſi minùs laudabilis, apud *Chinenſes*, Variolas benignas contrahere, molliter intrudendo in nares Infantum aut Puerorum, inter dormiendum, turundam è Goſſipio parvulam ſatìs imbutam Pure è Puſtulis punctis collecto. Et hic illorum mos, ſi modò tutus eſſet, neque Cerebrum offenderet, quod quidem ſuſpicarer, delicatulis Dominis pergratus foret, nullis ſcilicet Vulnuſculis cuti impreſſis.

Denique alia invaleſcit conſuetudo apud *Chinenſes*, maximè omnium laudabilis, & quam omnibus fœminis utero gerentibus, omnibus maximè obſtetricibus, perindè ac Medicis, etiam atque etiam commendare libet, cui nulla exceptio poteſt ritè objici, & quam nemo poteſt meritò vituperare. Hoc perhibetur à *Chinenſibus* præſervare à contagio *Variolarum* unquam contrahendo per totam hominis vitam, utcunque illæ fuerint ità Epidemicæ, omnibus mortalibus

talibus à *Gadibus* usque ad *Gangem* & *Japoniam*. Nimirùm in ipso Partu, cùm Infans in lucem sit recèns editus, ante sectionem Vasorum Umbilicalium à Placentâ, ut & sectione peractâ ante illorum deligationem, diligenter curandum est, ut Sanguis iste menstruus & vitiosus, ratus à Medicis *parens Variolarum* communis, leni compressione exprimatur *extrorsùm*. Etenim Docti Medici, & speciatim *Sennertus* doctissimus, imprudenter consulunt, ut Sanguis in Vasis Umbilicalibus contentus comprimatur *introrsùm* versùs Infantis umbilicum, ante vasorum à placentâ abscissionem; cùm eâdem operâ iste sanguis, ante sectionem, æquè possit comprimi ab umbilico, & post sectionem possit exprimi. Et hic mos illorum innocuus, penès illos efficax habitus, saltem adinstar nugatorii quorundam incantamenti, ad Febres Intermittentes profligandas nonnunquam gestati, siforte minùs valeat, proculdubiò minimè nocebit.

Verùm ex tantillâ causâ, vel cautelâ, in Principio vivendi observatâ, prohiberi posse adventum morbi tàm terribilis, omnibusque impendentis, credunt vel conjiciunt Sagaces illi *Chinenses*, qui præ se ferunt prædicere à Pulsu, quot horas diesque ægrotus vitam ducet, & quot annos vir sanus possit in hâc vitâ versari, vitatis casibus fortuitis, & violentiâ externâ; sed qui etiam impudentissimè putant, vel dicunt, se *Solos duobus* oculis cernere, alios omnes populos solummodò *uno*.

FINIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible]

___

[illegible]

___